

A. N. D.

46

DISSERTATIONIS ACADEMICÆ,

DE

*TEMPLO CATHEDRALI
ABOËNSI,*

PARS SECUNDA,

QUAM

Conf. Ampl. Fac. Phil. Aboëns.

PRÆSIDE

Mag. JOHANNE BILMARK,

Hist. & Phil. Praff. Professore Reg. & Ord.

PRO GRADU

Publico examini modeste offert

ELIAS JONÆ LAGUS,

Ostrobothniensis,

In Auditorio Superiori die xv April. MDCCCL.

b. a. m. c.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.



§. V.

Ad radices collis, a nostratisbus *Unicangari* appellati, & §. III. memorati, exstructus est murus, altitudinis XII ped. & crassitiei IV ped. cœmeterium suo comprehendens ambitu, cuius basis ex saxo, superior autem pars ex lateribus coctis est confecta, eique ad majorem consistentiam extrinsecus adjunctæ sunt anterides muro breviores & ejusdem cum hoc materiæ, satis crassæ, ad trium circiter orgyiarum intervallum a se invicem singulæ distantes; quo quidem modo murus hic ejus est firmitatis, ut munimenti vicem olim sustineret *a*), quem etiam in finem oblonga passim ad superiorem muri partem facta sunt foramina, per quæ obsessi tela & bombardarum glandes in oppugnatores explodebant. Muri hujus perimeter 1340 ped. figuram habet fere ellipticam, cuius major diameter est 446 ped. minor 320 ped. & integra area 121680 ped. quadrat. Sub parte hujus muri septentrionali quædam adhuc supersunt hypogæa, in domesticos monachorum usus olim exstructa, etiamnum adeo firma & integra,

gra, ut civibus, eadem desiderantibus, pro annua elocentur mercede. In hoc cœmeterium per sex aperturas, suis singulas portis ligneis cancellatis, a fabre factis, munitas patet introitus; quarum prima eademque præcipua meridiem, secunda euronotum, tertia orientem, quarta septemtrionem, quinta corrum, & sexta occidentem spectat. Quo autem tempore murus hic fuerit exstructus, non constat; ex Rev. JUUSTEN tantummodo discimus, Episcopum Aboënsiem, CONRADUM BITZE, totum Ecclesiæ Aboënsis cœmeterium instaurasse b). Super portis meridionali & occidentali exstructæ olim fuerunt cameræ, haud ita pridem superstites, nunc autem demolitæ, nundinationi indulgentiarum, ceu vetus fert traditio, dum Romana in nostris viguit oris religio, infervientes c), postea in *vigilum habitaculum*, ac deinceps in *adituorum hospitium* commutatae d). Proxime ad secundam cœmeterii portam modo memoratam sunt *Ædes Academicæ*, vetustate nunc fere fatiscentes, tribus constantes auditoriis, uno superiore eodemque maximo, cui contignum est *Consistorii Academicæ* conclave cum suo propylæo, & duobus inferioribus cum suo vestibulo; quibus adjunctæ sunt taberna lignaria (ante hac *Carcer*), item amplior cella, nec non domus pro servandis Academicæ machinis, incendio extinguedo destinatis; quarum vero ædium portæ sunt extra cœmeterium. Quem vero in usum magnum hoc ædificium quondam

dam fuerit exstructum indagare non potuimus e),
miramurque, *Nobil. MICH. GYLLENSTOLPE* in
Natalibus Academice Aboënsis momentum hoc, sibi forte non ignotum, ne verbo quidem tetigisse. Certum nihilominus videtur, ædes hasce institutionem Academie Auraicæ ætate antevertere, paucos utpote post menses, quam fundatio ejus fuit decreta, sollempniter inauguratæ. Brevi abhinc interjecto spatio conspicitur ædificium, ex coctis etiam lateribus ante triginta, & qui excurrunt, annos consecutum, duabus constans contignationibus (Svethice *v nningar*), in quarum Superiori *Theatrum Anatomicum & Consistorii Academicci Archivum*, inferiori tota, una excepta camera, ad *Laboratorium Chemicum* pertinente. In eodem hoc loco exstructa pridem fuerat domus lapidea, longitudinis 15. ulnar. & latitudinis 14½ ulnar. antiqua *Schola Aboënsis* communiter appellata; quum vero hæc fuerit angustior, quam ut mille & ultra Scholares, quot non raro Officinam Litterariam Aboensem simul frequentasse perhibentur f), capere potuerit, licet hoc rotunde adfirmet Cl. JU-STANDER g), in alium proinde usum exstructa. Quicquid hujus sit, novimus tamen ædes hasce sub dominatione Rossica, initio superioris seculi heic ingravescente, adeo licet collapsas, ut ruinam minitari viderentur, a viris melioris dignationis aliquantis per habitatas; tantus scilicet tunc erat ædium in nostra urbe defectus. Paucis abhinc passibus *Came-*

ra ossum recentiori ævo ex cocto etiam laterculo
 est exstructa, atque cœmeterii muro annexa; a qua
 parum distat alia, eademque antiqua domus lapidea,
 usui non pari diversis adornata temporibus. Donec
 enim Religio Romana heic viguit, in eadem, dua-
 bus tunc eminente contignationibus, sedem suam ha-
 buit *Capitulum Aboense*; hac vero in ipsum deinceps
 translata Templum, superiorique ædis parte demo-
 lita, ædificium hoc in varia adaptatum fuit reposi-
 toria, templi machinis aliisque utensilibus servandis
 accommodata; imo partem ejus quondam occupa-
 vit *Uxirina*, in qua ferramenta quævis in usum Tem-
 pli cudebantur *h*); nec ignotum est, non multis ab-
 hinc lustris *Ærarium Provinciale* intra has fuisse æ-
 des; quod tamen institutum deinceps non præter-
 rationem fuit improbatum. Hinc aquilonem versus
 progradientibus *Schola Cathedralis Aboensis* se offert,
 quæ in locum *Gymnasii*, ante bina circiter secula
 heic erecti, succesit *i*), cui *campanarium* olim erat
 adjunctum, nunc autem eidem contiguæ sunt *Ædes*
Bibliothecæ Academicæ, partem quoque muri, cœme-
 terium cingentis, constituentes; quo circea obiter nota-
 mus, partem harum ædium inferiorem quondam fu-
 isse *Templum Germanorum*, qui jus civitatis pro com-
 merciis exercendis in nostra obtinuerant urbe; eam-
 que postea in *Palæstram Athleticam*, ac nunc tem-
 pori in *tertiam Bibliothecæ cameram* nec non *Acade-*
mia Ærarium mutatam; reliquam ejus partem con-
 sti-

ſſituentibus aliquot tabernis, ex quibus elocatis annui Templo cedunt redditus.

- a) Probabile est, occasionem muro tam alto firmoque cœmeterium cingendi Aboënsibus præbuuisse Russos, Templum hoc Cathedrale, ad umbilicum adhuc vix perduellum, an. 1318 diripientes. b) Vid. Nob C. NETTELBLADT Schwedische Bibliothec, pars I. pag. 77. cui faciem prætulisse videtur MESSENIUS Scandiae Itinerar. Tom. X. p. 21. c) Refert prolecto Celeb. JOH. EENBERG in descriptione Upsalæ p. 51. supra portam cœmeterii ibidem australi olim extrectum fuisse domicilium, ex quo Nuntii Apostolici indulgentias vendiderunt Papales; unde colligere licet, eundem quoque morem Aboënsita invaluisse tempestate. d) Vid Rev. D. JUSLENNI Disserat. de Aboa veteri & nova p. 13. e) Momentum hoc Historicum siccō etiam pede præteriit Clar. JUSTANDER in Oratione de quibusdam antiquitatibus Abogicis, de hisce tamen ædibus locutus. In pertinaci igitur hoc Eruditorum silentio quid nobis in mentem venerit, conjecturæ impetrata venia, paucis exponemus. In eonfessio est, ædificium tantæ molis nec frustra, nec solius ostentationis causa fuisse exstructum, nemoque adhuc potuit evincere, idem Cœnobitis in habitaculum quondam fuisse destinatum, quare nihil impedit, quominus nobis persuadere patiamur, antiquam hoc fuisse Scholam Aboënsim, mille juvēnum & ultia capacem; Gymnasioque Aboënsi in Academiam deinceps commutato, ipsas ædes eam subiisse metamorphosin, ut Gymnasium in hodiernam Scholam, antiqua vero Schola in Academiam mutaretur. f) Vid. citat. JUSTANDRI Orationem. g) Vid. loc.

*cum modo citat. sed qui justam meruit censuram Celeb.
Professoris & Equitis D:ni PORTHAN, vid. PAULI
JUUSTEN Chronicon Episcoporum Finlandensium &c.
illustratum, Part. XXXV. p. 555. b) Vid. Rev. D.
JUSLENII citat. dissertat. p. 13. i) Vid. Clar. N.
WASSTRÖM Oeconomiska Beskrifning öfver Åbo Stad,
p. 15.*

§. VI.

Hoc etiam loco indicare debuimus, nullos olim in cœmterio Aboënsi constructos suisfe tumulos, nec lapides sepulcrales præter unum alterumque ex antiquiori ævo superstites mansisse, jam vero & confictos & adeo detritos, ut inscriptiones plene legi nequeant; forte quod civium honoratorum & opulentiorum funera tumbis, quas vel ipsi sibi in Templo conficiendas curaverant, vel soluto sibi comparaverant pretio, haud ita pridem inferrentur. At postquam perniciousus hic mortuos in Templo Aboënsi sepeliendi mos ex auctoritate Regia, Litterisque Regiis die 22 Septembr. An. 1784. datis plane fuit abrogatus, aliquot in cœmetrio nunc cernuntur lapides sepulcrales, brevibus notati inscriptionibus, nec silentio a nobis prætereundi. Initium autem a meridionali Templi porta faciemus, hinc orientem versus progressuri:

Här hvilar
 Apothecaren vid Kongl. Academien i Åbo,
 Herr LARS HENRIC von MELL,

Född d. 9 Julii 1725.

Död d. 23 Octobr. 1791.
 och

Def's Huſtru
 HEDDA DOROTHEA von AKEN,,
 Född d. 17 Januar. 1737.
 Död d. 3 Decembr. 1799.

Täſā Lápā
 Eläifäns Mestarin ja Borgarin
 MATTS SANDERIN
 Läski ELISABETH SANDER,,
 Syndynyt vuona 1707,
 Kuollut sinä 23 päivänä
 Kefä Kuusa vuona 1792.
 Jälki Muistoxi
 Annettu Hänelle Borgarilda
 ANDERS LAURENILDA
 Tygö omistettu Hänelle
 ja Hänens Perillisillens.

Christus on minulle elämä,
Kuolema on minulle voito,

Här hvilar
För detta Medicinæ Asfesforen, Profesforen,
samt Wafa Riddaren,
Doctor JOHAN HAARTMAN,
Född 1725, död 1787.

Hic jacet corpus Pii Viri,
SIGFRIDI LAURENTII,
Nati in Chimito, pie decessit
die XVIII Novembris Anno Salutis MDXI - - -
Hac Try - - - sub alvo - - quam Christus fideliter,

Här hvilar
Vice Pastoren och Archi-Diaconus,
MÄRTEN ARENIUS,
Född d. 27 Septembr. 1714,
Död d. 13 Octobr. 1786.
Christus är mitt lif,
Döden är min vinning.

Här

) 25 (

Hår under hvilar
Fra RENATA CAVANDER,
Född FORSTEN, som affomnade
d. 7 Decembr. 1786,
och var i lifstiden Gift med
Theologiæ Profesoren och Kyrkoherden
vid Domkyrko Finska Församlingen,
CHRISTIAN CAVANDER.

Herren Jesus Christus skall förklara
vår skröpliga Lekamen.

Philip. III: v. 20, 21.

Magister
DAVID H. S.
DEUTSCH
tilhorig,
1782.

Hår förvaras
En Dyrbar Öfverlefva
af
Justitiæ Borgmästarens
i Åbo,
D CARL

CARL ULNERS
ömt älskada Maka,
Fru
CATHARINA BERGQVIST,
Född 1744 d. 3 Decembr.
Död d. 6 Aug. 1788.

Här under hvilar
Fru
CHRISTINA SJÖMAN,
Född MESTERTON,
Död d. XV Maji
MDCCCLXXXVI.

Här hvilar
Academie Camereraren
HENR. WIDENII k. Maka,
Fru JOHANNA CHARL. MESTERTON,
Född d. 19 Jan. 1752.
Död d. 27 Maji 1792.

Här

Här under hvilar
 Handelsmanpen
JOST JOACHIM PIPPING,
 Född i Arboga d. 19 Augusti år 1720,
 Död i Åbo d. 12 Januarii 1793.
 Defs efterlämnade Enka
MAGDAL. CATHARINA LEXELL har
 Låtit lägga denna Sten.

Öfverste - Lieutenanten
 och Riddaren,
ADOLPH GEORG VON POST,
 Född 1735, Död 1788.
Hans Enka M. C. VON TROIL,
 Låt lägga Stenen.

Här hvilar
 Hof-Rätts Assessoren,
JOHAN BROWALLIUS.
 Född d. 11 Julii 1739.
 Död d. 3 Novembris 1793.

Här under hvilar
 För detta
 Lieutenanten, Högaktade
 Herr
JOHAN JACOB KJK,
 Född d. $\frac{22}{23}$ Junii 1744.
 Död d. 28 November 1791.

Här under hvilar
 Hof-Rätts Asfesören
CARL GUSTAF LOFFMAN,
 Född d. 25 Septembris 1731,
 Död d. 2 Februarii 1794,
 Med en älskad Son,
 Vice Notarien i Kongl. Åbo Hof-Rätt,
JACOB FREDRIC LOFFMAN,
 Född d. 3 Maji 1770.
 Död d. 2 Februarii 1794..

In supremo præterea gradu scalæ, ad secundam
 cœmeterii portam nuper memoratam pertinentis,
 cernitur fragmentum lapidis sepulcralis, sed cuius in-
 scriptio est adeo detrita, ut raræ tantum appareant
 litteræ, in vocabulorum seriem nulla nostra conjun-
 gendæ industria..

§. VII.

Hisce obiter lustratis, ad ipsum Templi ædificium proprius accedimus, formam ejus externam primum contemplaturi; quocirca tamen haud erit reticendum, nos, si voluntati nostræ respondisent facultates, non Ichnographicam solum delineationem, sed Schenographicam Templi nostri adumbrationem oculis lectorum nunc subjecisse; hisce autem sumtibus faciendis prorsus impares, brevem tantum ejus descriptionem exhibebimus a). Est itaque Templi basis rectangulum oblongum, longitudine ejus, computatione ab occidentali porta ad orientale summum chori latus facta, transversalem latitudinem ultraduplum superante; ipsa vero sacra hæc ædes Architectonica non gaudet ornatu. Partis ædificii occidentalis, quam esse antiquissimam simplicitas constructionis ostendit, parietes ex saxis diversæ molis sunt confecti, reliquus autem murus coctis constant laterculis, eique pigmentum in tegularum modum est illinitum, cæterum paucis anteridibus, eisdemque parum exstantibus, gaudens. In longitudinem totum ædificium extenditur 300 ped. in latitudinem 127 ped. in altitudinem ad tecti fastigium 132 ped. scilicet a basi ad subgruudam 72 ped. & hinc ad ædis culmen per 60 ped. se elevat. Ad borealem Templi partem sacrarium perquam amplum suis sumtibus exstruendum curavit, Episcopus Aboënsis:

MAGNUS OLAI TAVAST b), sua in ecclesiam Aboensem merita hac liberalitate insigniter augens. Est autem hoc saerarium, cuius basis est quadrata, ejusdem cum Templo constructionis, sed minoris altitudinis, ædi primariæ ita annexum, ut non nisi per hanc in illud pateat introitus, cæterum in binas divisum cameras, quarum illa ad dextram introitus partem, *sacrarium vetus* communiter appellatur, in quo, utpote probe munito, præcipua Templi cimelia servantur, altera consuetis usibus ecclesiasticis inserviente. Veteri huic Saerario aliud ædificium extra Templum est contiguum, in quod ossa demortuorum pridem congregabantur, anno 1773 ita adaptatum, quin & camino instructum, ut machinis Templi, quibus obortum extingui potest incendium, servandis conducat. Huic porro versus eurum adhaeret splendidum Sacellum sepulcrale illustrissimæ familie HORNIANÆ, ingressus autem est in ipso Templo. In Templi parietibus LXIV hodie numerantur fenestrarum aperturæ, disparis tam figuræ, quam magnitudinis; quarum XIX paris inter se formæ per superiorem ædificii contignationem lumen solis transmittunt; XXXVII inferiorem ejus partem reddunt lucidam & ex his, quæ in meridionali Templi pariete, sunt cæteris minores; fororum interne contiguorum exstructione, ut illæ qua medium obfirmarentur partem postulante, reliquæ autem octo necessarium utriusque Sacrario utque ædibus Con-

fistit.

sistorii Ecclesiastici mutuantur lucem. Vitrum, quo fenestræ, recentiori præfertim ævo, confectæ sunt, vulgare quide[m] est, melioris tamen notæ & adeo pellucidum, ut sacra hæc ædes luce gaudeat omnino copiosa. Tectum laminis cupreis olim fuit obductum, sed quod die 24 Maji An. 1600, sœviente horrendo incendio, est resolutum. Ex Actis Consistorii Ecclesiastici Aboënsis didicimus, cum Svetheæ Reginam gl. m. CHRISTINAM, infelicem hanc Templi fortè miseratam, ad tecti reparationem non-nihil donassem c); tum etiam, dum illud An. 1652 & sequenti tempore ære vestiri inceperit, cives Aboënses pro facultatum suarum ratione cuprum huic perficiendo operi contulisse, quod vero opus, nondum absolutum, rursus absunxit incendium die XIII Maji An. 1656. ingravescens; quæ cum deiuceps reparari non potuerit jactura, tectum nunc scandulis populi nigræ, aqua victrioli probe saturatis & induratis ac concinne adaptatis est inductum, præter tecta chori atque supremæ turris partis, laminis cupreis recentiori ævo superinducta. In superiori autem hac Templi regione dum moramur, silentio præterire non debemus apparatum mechanicum, quo materia fulminea, in nubibus hospitans, a Templo, ne ei officiat, tempestive abducitur, quem proinde Svetheice Åskledare appellamus, anno 1791 affabre confectum. Duabus idem constat laminis cupreis, altera crassiori, latiori altera, sibi impositis,

&

& cuspides ferreas, in summitate hinc turris, illius
chori culmine erectas, attingentibus, marginem te-
ctorum ambientibus & hinc per strias, apte dispositas,
descendentibus. Absorpta autem ingeuioso hoc
artificio materia fulminea per continuatas in canali-
bus subterraneis laminas cupreas, ab occidentali
Templi parte in amnem, qui urbem interfluit, ab
orientali in effossum extra coemeterium ejaculatur
puteum, atque ita extinguitur. Præterea comme-
morandum, unicam solummodo esse Templi turrim,
eandem vero valde amplam, in quam adscensus o-
lim fiebat per scalam, cuius porta erat in occiden-
tali Templi atrio; quæ vero in commodiorem adi-
tum nunc est extra sacram ædem, parte ad septem-
trionem vergente. Superiori turris hujus parti fla-
vum est illitum pigmentum, externa autem reliquo-
rum parietum facies colore gaudet subrufo, latercu-
lum coctile imitante. Verum de hac turri plura
disserendi, in sequentibus dabitur occasio. Denique
hoc addendum erit loco, in Templum patere introi-
tum per quinque januas, duas meridiem, duas ite-
rum septentrionem, & unam occasum spectantes,
singulas firmis probe munitas claustris. Præcipuus
autem & solennis est per januam meridionalem in
ædem hanc aditus, ante quam spatiolum est atrium
portis ac claustris servatum; adscensus vero in Tem-
plum fit per scalam XXXIV graduum, computan-
do videlicet a plano subiectæ plateæ ad ædis limen,
qua

qua majorem partem ex lapide Gothlandico eleganter confectionum; quales etiam scalæ ad tres reliquas portas, præter illam, quæ boreali advertitur plagæ, inveniuntur.

a) Quis Ichnographiam Templi Aboënsis adornaverit, & ædis extirctionem direxerit, haud constat; non tamen faciles credimus opinantibus, STEPHANUM BONNVEILL, Architectum Parisiensem, quo dirigente, Templum Upaliense est ædificatum, ideam Templo quoque Aboënsi suppeditasse; quum hodiernum Templum a primo heic extiructo valde differat, ceu infra commemorabimus.

Vid. Rev. JUUSTEN Cbronicon in libr. D:ni NETTELBLADT citat. p. 73.

c) Colligitur hoc ex litteris Reginæ CHRISTINÆ ad Regni & Regiae Cameræ Senatores, Holmiæ die 29 Augusti An. 1645 datis, in quibus inter alia haec leguntur: *Alldenfund Vi Nådigste bafve donerat til Domkyrkan i Åbo tubundrade exemplar af den Finska Biblen, dels at utdela där i Stichtet, dels ock at komma Kyrkan med något til fôrnyandet af taket, til bjelp ocb entsatt &c.* Ex epistola quoque Rev. Doctoris JOANNIS TERSERI, Holmiæ die 10 Maii An. 1673. data dicimus, eum litteris supplicibus (*Stambok*) ex præstantioribus urbis primariæ civibus collegisse pecuniæ summam, reparationi tam Templi Aboënsis, quam ædium Academicarum impendendam.



